

## CCCXXXIX.

*An & quatenus actio furti & vi bonorum raptorum concurrant, & una post alteram intentari possit?*

**Q**UOD cum actione vi bonorum raptorum concurrat actio furti nec manifesti : & post hanc quidem illa , ad consequendum, quod in ea amplius est , institui possit , post illam verò hæc non æquè , apertè constat ex *l. 1. de vi bon. rapt. & l. si quis egerit. 88. ff. de furt.* Cæterùm nec multùm dubitandum, quin cum eadem etiam furti manifesti actio concurrat: non quidem semper, & si quis ex domo v. c. in qua nemo fuit, rapuerit: *l. si quis uxori. 52. §. ult. ff. de furt.* sed quando raptor in ipso facinore deprehensus & manifestus factus est. *l. si vendidero. 80. §. cum raptor. 3. d. t.* Idque ita, ut illa post hanc expiret , hæc post illam , in eo quod amplius habet, supersit. *arg. l. quoties 41. §. 1. ff. de obl. & act.*

## CCCXL.

*An & propter liberum hominem occisum ex lege Aquiliâ agi possit?*

**D**IRECTÒ, & velut ex ipsa lege Aquilia non potest. Quia hujus legis actio domino, nec (nisi utiliter) aliis competit. *l. item Mela. II. §. legis autem. 6. & §. pen. & ult. ff. ad leg. Aquil.* itèmq; ad æstimationem occisi, seu quanti is fuerit, & quidem ex veritate, non ex affectione intenditur. *l. si servũ. 33. in pr. d. t.* At liberi hominis nec dominus *pr. & §. idem juris. 2. Inst. de inut. stipul.* nec æstimatione,